

## MARTIANUS CAPELLA

## DE NUPTIIS PHILOLOGIAE ET MERCURII (941 vers)

Il va de soi que nous ne donnons dans cette anthologie que les passages versifiés dépassant les deux vers.

## LIBER I.

N1\_01 v.1 Tu quem psallentem thalamis, quem matre Camena  
 2 progenitum perhibent, copula sacra, deum :  
 3 semina qui aecanis stringens pugnancia vinclis,  
 4 complexuque sacro dissona nexa foves ;  
 5 namque elementa ligas vicibus, mundumque maritas  
 6 atque auram mentis corporibus socias ;  
 7 foedere complacito sub quo natura jugatur,  
 8 sexus concilians, et sub amore fidem :  
 9 o Hymenaeae decens, Cypridis qui maxima cura est :  
 10 hinc tibi nam flagrans ore cupido micat,  
 11 seu tibi quod Bacchus pater est, placuisse choreas,  
 12 cantare ad thalamos seu genitricis habes,  
 13 comere verniferis florentia limina sertis  
 14 seu consanguineo Gratia trina dedit :  
 15 connubium divum componens Calliopea  
 16 carminis auspicio te probat annuere.

## APOLLO

N1\_02 v.1 Anxia quum trepidis nutat sententia rebus,  
 2 fluctuat incertis aut sors ignota futuris,  
 3 consultat mortale genus, quodque indiga veri  
 4 cura facit dubium, vel spes incerta fatigat.  
 5 At praescire deis vacuum est, cunctatio nulla est ;  
 6 quod superi voluere, licet ; de pectore fixis  
 7 praeoptare caret ; si quid placet, atque necesse est.  
 8 Sed tibi quod nondum venit mansura voluntas,  
 9 consilium vis ferre meum : sic semper ab omni  
 10 velle capis socium, faciunt atque addita mentem.  
 11 Est igitur prisca generis doctissima virgo  
 12 conscia Parnaso, cui fulgent sidera coetu :  
 13 cui nec tartareos claustra occultare recessus,  
 14 nec Jovis arbitrium rutilentia fulmina possunt ;  
 15 fluctigena spectans qualis sub gurgite Nereus,  
 16 quaeque tuos norit fratrum per regna recursus ;  
 17 pervigil immodico penetrans arcana labore,

18 quae possit docta totum praevertere cura,  
 19 quod superis praescire datum ; quin crebrius in nos  
 20 jus habet illa deos, urgens in jussa coactos,  
 21 et quod nulla queat superum tentare potestas,  
 22 invito scit posse Jove. Ut stent ardua magno,  
 23 alterutrum cumulat parilem meruisse jugalem.

## MERCURIUS

N1\_03 v.1 Certum est, Lauripotens decusque divum,  
 2 nostrum ex contiguis venire pectus,  
 3 et quidquid socium ciere numen  
 4 junctus compererim probare rerum :  
 5 sed numquam mage velle disparamus  
 6 et fit collibitum manere jussis,  
 7 quam quum Deliaco meare fatu  
 8 cura atque arbitrio monemur isto.  
 9 Hunc quippe ambiguum nefas putamus :  
 10 et quaecumque fuit, perit voluntas.  
 11 Quodcirca officio decentiore  
 12 paret praecluibus libens profatis  
 13 arcas in thalamos venire jussus.  
 14 Sed tu, Delie, quo Tonantis exstet  
 15 compar propositum volensque nutus,  
 16 instes, nam solitus ciere pectus,  
 17 et praeversa vigil monere sensa :  
 18 illum contribuas favere jussis,  
 19 et coeptis sacra fulserit voluntas.

## APOLLO

N1\_04 v.1 Possem minore ambigens fiducia  
 2 solum Tonantem pignoris pro foedere  
 3 bupaeda vixdum vel paterna contremens  
 4 praecepta adire, ni jugata caelitem  
 5 omen pararent prosperum consortia  
 6 tabensque divum nunc moneret nexio.  
 7 Junone thalamos quis rogare conscia  
 8 nolet deorum ? Quum futura pronuba  
 9 eadem profecto quaeque suffragabitur.  
 10 Jugalis ergo blanda nutus praestruere  
 11 nostrisque suada quo allubescat nisibus.  
 12 Te nunc parentem principemque maximum  
 13 fatumque nostrum, quippe Parcarum chorus  
 14 humana pensat, tuque sortem caelitem ;  
 15 tuumque velle est ante praescientias ;  
 16 ac mente gestas, quidquid instabit deis :  
 17 cujusque nutu gignitur necessitas,  
 18 futura cujus alligat decretio :  
 19 instatque quidquid velle vel serum potes -  
 20 te ne igitur illo quo benignus numine es  
 21 deposco, caeli blanda temperatio  
 22 piumque culmen, jure qui divum pater,  
 23 concede proli quo nepotum provehat

24 numerum, supernis astra quem vibrant polis ;  
 25 Majae tuumque flagitat pignus sacrum,  
 26 thalamis jugetur virginis doctissimae.  
 27 Sed te parentis cura si stringit pia,  
 28 par est deorum convocet coetum potens,  
 29 connubium ipsa sanciens cum conjuge :  
 30 quo prolis exstent lege supera nuptiae,  
 31 perpesque vinclum caelitum signet decor.

JUPITER

N1\_05 v.1 Ni nostra, astrigeri, nota benignitas  
 2 conferre arbitrium cogeret intimum,  
 3 et quidquid tacito velle fuit satis  
 4 id ferre in medium collibitum foret :  
 5 possem certa meis promere ductibus,  
 6 nec quisquam illicitis tollere nisibus  
 7 concertans cuperet jussa deum patris.  
 8 Sed tristis melius censio clauditur,  
 9 atque infanda premit sensa silentium,  
 10 ne vulgata ciant corda doloribus ;  
 11 ar quum laeta patrem promere gaudia  
 12 et certo deceat foedere pignora  
 13 palam perpetuis jungere nutibus :  
 14 cassum est nolle loqui sensa decentia.  
 15 Vobiscum ergo dii, grata propinquitas,  
 16 conferre studium est vota propaginis.  
 17 Aequum quippe puto foedere caelitum  
 18 quae sectanda forent orsa probarier.  
 19 Nostis Majugenam pignoris inclyti  
 20 in nostris merito degere sensibus :  
 21 quae nec frustra mihi est insita caritas,  
 22 ut suevit patria stringere pectora.  
 23 Nam nostra ille fides, sermo, benignitas,  
 24 ac verus Genius, fida recursio :  
 25 interpresque meae mentis honor sacer.  
 26 Hic solus numerum promere caelitum,  
 27 hic vibrata potest noscere sidera ;  
 28 quae mensura polis, quanta profunditas,  
 29 qualis sit numerus marmoris haustibus,  
 30 et quantos rapiat margine cardines,  
 31 quaeque elementa liget dissona nexio,  
 32 perque hunc ipse pater foedera sancio -  
 33 sed forsitan pietas sola recenseat,  
 34 quae parens probitas munera pensitet ;  
 35 qui Phoebi antevolans saepe jugalibus  
 36 in sortem famuli nonne relabatur ?  
 37 Hic quoque sic patruis servit honoribus,  
 38 ut dubium proprium quis mage vindicet.  
 39 Illum connubio rite jugarier  
 40 suadent emeritis saecula laboribus,  
 41 et robur thalamo flagitat additum.  
 42 At virgo placuit docta quidem nimis  
 43 et compar studio, sed cui terreus  
 44 ortus, propositum in sidera tendere :

45 plerumque et rapidis praevolat axibus,  
 46 ac mundi exsuperat saepe means globum.  
 47 Cunae ergo officiant quo nihil editae,  
 48 censendum, superi quique crepundia  
 49 terris recolitis vestra tenerier,  
 50 quae occultant adytis sacra latentibus.  
 51 Jungantur paribus, nam decet, auspiciis,  
 52 et nostris cumulent astra nepotibus.

## LIBER II

N2\_01 v.1 Sed purum astrificis caelum scandebat habenis  
 2 nox revocans merse fulgentia sidera Phoebō.  
 3 Ardua tunc senior succendit plaustra Bootes,  
 4 et spiris torvo nituerunt astra Draconi ;  
 5 auratis etiam flagrans splendebat in armis  
 6 qui trahit aestifero fulgentem Sirion ortu ;  
 7 hoc quoque Nysiacis quod sparsum floribus ardet  
 8 multiplici ambitum redimitur lumine sertum.  
 9 Virginis interea trepidas perlabitur aures  
 10 fama Jovis magno dum complet tecta boatu.

N2\_02 v.1 Et jam tunc roseo subtexere sidera peplo  
 2 coeperat ambrosium promens Aurora pudorem :  
 3 quum creperum lux alma micat gemmata decore,  
 4 quum nitet aurato fulget quum Phosphorus astro :  
 5 tunc candens tenero glaciatur rore pruina et  
 6 matutina greges quatiunt in pascua caulas :  
 7 languida mordaces quum pulsant pectora curae,  
 8 et fugit expulsus Lethaea ad littora somnus.

### MUSARUM CHORUS

N2\_03 v.1 Scande caeli templa virgo  
 2 digna tanto foedere.  
 3 Te socer subire celsa  
 4 poscit astra Jupiter.

### URANIA

N2\_04A v.1 Sidereos coetus et culmina sacra polorum  
 2 nil jam conjiciens numine fisa vide.  
 3 Olim disquirens nexos quid torqueat orbes :

4 nunc praesul causas raptibus ipsa dabis.  
 5 Quae circos textura liget, quae nexio claudat,  
 6 ambiat et quantos orbita curva globos,  
 7 sidereos cursus quid cogat quidve retardet,  
 8 quis Lunam flammet vel minuat radius,  
 9 quis coelum stellet fomes et quanta revolvat,  
 10 quae sit cura deis vel modus, aspicias.

N2\_04B v.1 Scande caeli templa virgo  
 2 digna tanto foedere.  
 3 Te socer subire celsa  
 4 poscit astra Jupiter.

#### CALLIOPE

N2\_05A v.1 Semper complacitis amica Musis,  
 2 cui Magnesia poculum fluenta  
 3 et fons Gorgonei tulit caballi :  
 4 vertex Aonidum virens corollis  
 5 cui frondet violas parante Cirrha :  
 6 tu vatium mela dulcibus Camenis  
 7 et scis Pindaream chelyn referre ;  
 8 te dictante fides sacrumque plectrum  
 9 movit Threicium sonare carmen.  
 10 O lux nostra, sacros probare cantus  
 11 suesce, atque organicis beare circis.

N2\_05B v.1 Scande caeli templa virgo  
 2 digna tanto foedere.  
 3 Te socer subire celsa  
 4 poscit astra Jupiter.

#### POLYMNIA

N2\_06A v.1 Tandem laboris fructus aethram fulgidam  
 2 divumque sedes ac Jovis consortia  
 3 proventa carpis inditoque numine,  
 4 distenta dudum quae jugare Rhythmica  
 5 ac disparari mixta sueta regula,  
 6 mox quid jacente, quid jugata linea  
 7 trigonus recurvet circulusque torqueat ;  
 8 melos probaret, ac tonos et crasmata,  
 9 artesque cunctas solita, quaeque caelitem  
 10 possunt parare mentem ad alta culmina.

N2\_06B v.1 Scande caeli templa virgo  
 2 digna tanto foedere.  
 3 Te socer subire celsa  
 4 poscit astra Jupiter.

#### MELPOMENE

N2\_07A v.1 Sueta cothurnatos scenis depromere cantus,

2                   soccumque ferre comicum,  
 3       et reboare tua tulimus quae carmina cura  
 4                   melo favente rhythmico :  
 5       nunc tibi virgo cano, spes atque assertio nostri,  
 6                   tenore versa carminis.  
 7       Nam thalamum redimire juvat, tuserta probato  
 8                   tuis placere ritibus.  
 9       Digna maritali semper videaris Olympo,  
 10                  decentiorque caelitem.

N2\_07B v.1           Scande caeli templa virgo  
           2           digna tanto foedere.  
           3           Te socer subire celsa  
           4           poscit astra Jupiter.

## CLIO

N2\_08A v.1        Tu quae rhetorico clangere syrmate,  
           2        atque reum rabido absolvere pectore,  
           3        quae nunc sensa ligans horrida nexibus,  
           4        soritas cumuli accessibus aggerans,  
           5        nunc quid grammatica stringere regula,  
           6        quid fandi ambiguis ludere sensibus :  
           7        non stellata poli conspice limina,  
           8        et candore sacro aetheris utere :  
           9        quem vero pretium est noscere lumine.

N2\_08B v.1           Scande caeli templa virgo  
           2           digna tanto foedere.  
           3           Te socer subire celsa  
           4           poscit astra Jupiter.

## ERATO

N2\_09A v.1        Caput artibus inclyta virgo  
           2        cui panditur aula Tonantis :  
           3        merito tibi subditur orbis  
           4        rationibus ante repertus :  
           5        sacra fulmina cur rutescant :  
           6        fragor intonet unde resultans :  
           7        quid agat per aperta madores  
           8        modo nubibus imbrificatis :  
           9        quid euntibus agmine nimbis  
 10        revocet nitidissima verna,  
 11        rotet omnia circulus anni  
 12        properantia claudere saecula.  
 13        Quid habent rationis operta  
 14        canimus tibi cognita soli.

N2\_09B v.1           Scande caeli templa virgo  
           2           digna tanto foedere.  
           3           Te socer subire celsa  
           4           poscit astra Jupiter.

## TERPSICHORE

N2\_10A v.1 Laetor, honoris meritis conspicis astra virgo ;  
 2 hoc tibi sollers peperit ingenium labosque,  
 3 ista peritis tribuit cura vigil lucernis.  
 4 Perdia pernoxque sacris namque onerata chartis  
 5 nam Sabaeorum rapidis quid vapor edat aris,  
 6 fumida quid turicremis aura paret favillis,  
 7 omina vel certa ferant vocibus auguratis.

N2\_10B v.1 Scande caeli templa virgo  
 2 digna tanto foedere.  
 3 Te socer subire celsa  
 4 poscit astra Jupiter.

## EUTERPE

N2\_11A v.1 Virgo perite  
 2 praevia sortis,  
 3 quae potuisti  
 4 scandere caelum,  
 5 sacraque castis  
 6 dogmata ferre,  
 7 noscere semet  
 8 quis valuere,  
 9 quisque videntes  
 10 lumine claro  
 11 numina fati  
 12 et geniorum  
 13 cernere vultus ;  
 14 quaeque Platonis  
 15 Pythagoraeque  
 16 esse dedisti  
 17 sidera mentes,  
 18 tuque caducis  
 19 mortalibusque  
 20 nube remota  
 21 cernere justis  
 22 numina caeli ;  
 23 jure senatum  
 24 scande Tonantis,  
 25 quam decet unam  
 26 Mercuriali  
 27 foedere jungi.

N2\_11B v.1 Scande caeli templa virgo  
 2 digna tanto foedere :  
 3 te socer subire celsa  
 4 poscit astra Jupiter.

## THALIA

N2\_12 v.1 Beata virgo tantis  
 2 quae siderum choreis  
 3 thalamum capis jugalem,  
 4 ac sic favente mundo  
 5 nurus adderis Tonanti :  
 6 at cujus esse divi  
 7 tibi contigit maritam ?  
 8 Ejus, meante pinna  
 9 qui solus astra mundi  
 10 praetervolans perrexit  
 11 rapidis vigil procellis ;  
 12 qui quum superna tranat  
 13 freta, Tartarum recurrit ;  
 14 qui solus ante currum  
 15 at candidos jugales  
 16 almi potens parentis  
 17 memorem ciere virgam :  
 18 qui fata succidentis  
 19 separat libens Osiris,  
 20 sationibus gravari  
 21 genitalibus repertis  
 22 quem scit pater deorum ;  
 23 cui lacteam papillam  
 24 gaudens dedit noverca ;  
 25 cujus vigente virga  
 26 dirum stupet venenum,  
 27 cui virus omne fanti  
 28 orbem facit gemellum.  
 29 Est doctus ille divum,  
 30 sed doctior puella :  
 31 nunc nunc beantur artes,  
 32 quas sic sacratis ambo,  
 33 ut dent meare caelo,  
 34 reserent caducis astra,  
 35 ac lucidam usque ad aethram  
 36 pia subvolare vota.  
 37 Per vos vigil decensque  
 38 nus mentis ima complet :  
 39 per vos probata lingua  
 40 fert gloria per aevum :  
 41 vos disciplinas omnes  
 42 et nos sacrate Musas.

## PHILOLOGIA

N2\_13 v.1 Ignoti vis celsa patris, vel prima propago,  
 2 fomes sensificus, mentis fons, lucis origo,  
 3 regnum naturae, deus atque assertio divum,  
 4 mundanusque oculus, fulgor splendentis Olympi,  
 5 ultramundanum fas est cui cernere patrem,  
 6 et magnum spectare deum ; cui circulus Aethrae  
 7 paret, et immensis moderaris raptibus orbes.  
 8 Nam medium tu curris iter, dans solus amicam  
 9 temperiem superis, compellens atque coercens  
 10 sidera sacra deum, quum legem cursibus addis.



11 Hinc est quod quarto jus est decurrere circo,  
 12 ut tibi perfecta numerus ratione probetur ;  
 13 nonne ac principio geminim tu das tetrachordon ?  
 14 Solem te Latium vocitat, quod solus honore  
 15 post patrem sis lucis apex ; radiisque sacratum  
 16 bis senis perhibent caput aurea lumina ferre,  
 17 quod totidem menses, totidem quod conficis horas.  
 18 Quattuor alipedes dicunt te flectere habenis,  
 19 quod solus domites quam dant elementa quadrigam.  
 20 Nam tenebras prohibens retegis quod caerulea lucet,  
 21 hinc Phoebum perhibent prodentem occulta futuri,  
 22 vel quia dissolvit nocturna admissa ; Iseum  
 23 te Serapim Nilus, Memphis veneratur Osirim,  
 24 dissona sacra Mithram, Ditemque ferumque Typhonem ;  
 25 Attis pulcher item, curvi et puer almus aratri,  
 26 Ammon et arentis Libyes, ac Byblius Adon.  
 27 Sic vario cunctus te nomine convocat orbis.  
 28 Salve vera deum facies vultusque paterne,  
 29 octo et sexcentis numeris, cui litera trina  
 30 conformat sacrum mentis cognomen et omen.  
 31 Da pater aethereos mentes conscendere coetus,  
 32 astrigerumque sacro sub nomine noscere caelum.

AUCTOR LECTORI

N2\_14 v.1 Transcursa, lector, parte magna fabula,  
 2 quae tam morosis implicata ductibus  
 3 tenui lucernam palpitare lumine  
 4 coegit instans innitens crepusculum ;  
 5 ac ni rosetis purpuraret culmina  
 6 aurora primo et convenustans halitu  
 7 surgens fenestras dissecaret lumine,  
 8 adhuc jugata compararet pagina  
 9 quocumque ducta largiorem circulum.  
 10 Nunc ergo mythus terminatus, infiunt  
 11 artes libelli qui sequentes asserent.  
 12 Nam fruge vera omne fictum dimovent,  
 13 et disciplinas annotabunt sobrias  
 14 pro parte multa, nec vetabunt ludicra.  
 15 Habes quid instet, si potestas caelitem  
 16 faveantque Musae et chelys Latoia.

LIBER III. DE ARTE GRAMMATICA.

N3\_01 v.1 Rursum Camena parvo  
 2 phaleras parat libello

3 et vult amica fictis  
 4 commenta ferre primum  
 5 memorans frigente vero  
 6 nil posse comere usum  
 7 vitioque dat poetae  
 8 infracta ferre certa  
 9 lasciva dans lepori  
 10 et paginam venustans  
 11 multo illitam colore,  
 12 atquin prioris ille  
 13 titulus monet libelli,  
 14 mythos ab ore pulsos  
 15 artesque vera fantes  
 16 voluminum sequentum  
 17 praecepta comparare.  
 18 Ad haec jocante rictu  
 19 "Nil mentiamur, inquit,  
 20 et vestiantur artes.  
 21 An tu gregem sororum  
 22 nudum dabis jugandis,  
 23 et sic petent Tonantis  
 24 et caelitem senatum ?  
 25 Aut si tacere cultum  
 26 placet, ordo quis probatur ?"  
 27 Certe loquentur illae  
 28 quae quid ferat docendum  
 29 habitusque consequentur  
 30 asomato in profatu.  
 31 "Haec nempe ficta vox est  
 32 et devius promissi es,  
 33 cur ergo non fateris  
 34 ni figminis figura  
 35 nil posse comparari ?"  
 36 His me Camena vicit :  
 37 nudis jugabo ludum.

N3\_02 v.1 Perstricta est cursim rationis regula primae,  
 2 quae multis tendi sueta voluminibus.  
 3 In qua juncturis quid nectat littera utrisque,  
 4 quo admittat sociam vel faciat latere,  
 5 quae quo transiliat conversis legibus usu,  
 6 et transformatum nomen habere velit,  
 7 quas oris sonitus vel quas modulatio linguae  
 8 gignant et pulsu rupta labella suo.  
 9 Nunc jam compactis cursanda est syllaba formis,  
 10 ut fastigetur longa brevisque fuat.  
 11 Haec duo percurram, juncturas littera quippe  
 12 praeveniens docuit sub ratione pari.  
 13 Hoc igitur subdens nectendum concipit ordo,  
 14 si vestrum superi comprobatur arbitrium.

N3\_03 v.1 Expleta cursim syllabarum pagina est :  
 2 juganda demum verba. Nam probabilis  
 3 hic ordo rebus quique disgregabitur

4 in bina demum. Prima nam "Proportio"  
 5 dicenda, Grai "Analogiam" quam vocant.  
 6 Ac mox repulsa quae novantur regula  
 7 vulgoque docti quae "anomala" nominant,  
 8 bis quarta fandi quis paratur portio  
 9 vel vulneratur ductus oris integer,  
 10 quantumque solo inditum libellulo  
 11 potest probare serium fastidium.

#### LIBER IV. DE ARTE DIALECTICA.

N4\_01 v.1 Haec quoque contortis stringens effamina nodis,  
 2 qua sine nil sequitur nilque repugnat item,  
 3 in coetum superum veniens primordia fandi  
 4 advehit et scholicum praestruit axioma  
 5 ambiguus memorans vocem consistere verbis  
 6 nil normale putans ni fuat adsocium.  
 7 Sed licet ipse modos demum bis quinque profatus  
 8 pallens afflictim verset Aristoteles,  
 9 Stoica circumeant ludantque sophismata sensus  
 10 perdita non umquam cornua fronte ferant,  
 11 Chrysippus cumulet proprium et consummat acervum  
 12 Carneadesque parem vim gerat helleboro,  
 13 nullus apex tot prole virum par accidit umquam  
 14 nec tibi tam felix sortis honos cecidit,  
 15 inter templa deum fas est Dialectica fari  
 16 et Jove conspecto jure docentis agis.

#### PALLAS

N4\_02A v.1 "Perita fandi jam progressum comprime,  
 2 ne implexa tortos stringat intimatio  
 3 et multinodos perpeti anfractus diu  
 4 Hymen recuset. Editum est compendio  
 5 multo astruendum contulit volumine,  
 6 sat est profundae fons decens scientiae,  
 7 quae abstrusa promit nil morosum disserens  
 8 praetervolando nilque ignotum deserens,  
 9 nam quae supersunt fraude multa consita,  
 10 quis falsa captos circuit deceptio,  
 11 dum ambage ficta praestruis sophismata  
 12 captentulisve ludis illigantibus  
 13 pellax soritas cumque sensim congeris  
 14 formasve, mendas comprobat quas veritas,  
 15 nefas Tonantis garriat sub auribus

16 facinusque dirum, quippe summu caelites  
 17 odere turpis omne falsum feminae.  
 18 Nam si revolvas, quid cavilla saevius ?  
 19 Dudum locuta circulatrix indecens  
 20 fies profecto decipula, si astruxeris.  
 21 Relicumque tempus liqueris sororibus."

DIALECTICAE RESPONSIO.

N4\_02B 1 "Venerandos mihi fatus reverendosque secuta  
 2 referam jussa pedem atque illicit exorsa silebunt.  
 3 Licet unam decuit jussae permittere culpam,  
 4 ut honoris pretio cederet inferre relatus,  
 5 populum Cecropidarum bene quo palliaturum  
 6 Bromius conciperet contumias nosse dolere,  
 7 mage quam crediderat vipeream noscere posset  
 8 et iners Marsica dudum fieret praestigiatrix  
 9 neque me conspiceret somnificam vel temulentam  
 10 joca passim blaterantem Jovialibus sub orsis.  
 11 Tamen uni famulandum est tibi, virgo : reticemus."

LIBER V. DE RHETORICA.

N5\_01 v.1 Interea sonuere tubae raucusque per aethram  
 2 cantus, et ignoto caelum clangore remugit :  
 3 turbati expavere dei vulgusque minorum  
 4 caelicolum trepidat causarum et nescia corda  
 5 horrent ne veteris renoventur crimine Phlegrae.  
 6 Tunc Amnes Faunisque Pales Ephialta Napaeae  
 7 respectant proceres nulloque assurgere motu  
 8 cernunt attoniti vicibusque alterna profantes  
 9 mirantur placidam per pectora sacra quietem.  
 10 Tum primum posita Silvanus forte cupresso  
 11 percitus ac trepidans dextram tendebat inermem  
 12 Deliacos poscens arcus atque Herculis arma,  
 13 Portuni trifidam suspirans flagitat hastam,  
 14 Gradivi frameam non ausus poscere, falcem  
 15 Saturni bello suetus disquirat agresti,  
 16 diffidensque sui respectat tela Tonantis.

CYLLENIVS

N5\_02 v.1 Tandem loquacis terminata paginae  
 2 asserta cursim, quae tamen voluminis  
 3 vix umbilicum multa opertum fascea

4 turgore pinguis insuit rubellulum.  
 5 Quod si probatur et caret fastidio,  
 6 non nulla promet quae novella texuit,  
 7 diditaque fient quae vetustas praeterit ;  
 8 sin sanna typhi naris imum torseris,  
 9 pigebit arma horruisse caelites,  
 10 formidinisque tunc locus movebitur,  
 11 Silvane, falcem cum petis Saturniam.  
 12 At tu reclamans, rhetorum turbam tuba,  
 13 clangore verso Tulliana praecrepan  
 14 in castra abibis, quo nec osor invidens  
 15 nec livor ater te sequatur praecluem.

### LIBER VI. DE GEOMETRIA.

N6\_01 v.1 Virgo armata decens, rerum sapientia Pallas  
 2 aetherius fomes mens, et sollertia fati,  
 3 ingenium mundi, prudentia sacra Tonantis,  
 4 ardor doctificus nostraeque industria sortis  
 5 quae facis arbitrium sapientis praevia curae  
 6 ac rationis apex divumque hominumque sacer "Nous",  
 7 ultra terga means rapidi ac splendentis Olympi,  
 8 celsior una Jove, flammantis circulus aethrae  
 9 "eptas" in numeris, prior igni, tertia Luna,  
 10 quam docto assimilant habitu qui amalgata formant :  
 11 hinc nam tergeminae rutilant de vertice cristae  
 12 quod dux sanguineo praesulque corusca duello,  
 13 vel tibi quod fulget rapiturque triangulus ignis :  
 14 hin tibi dant clipeum, sapientia quod regat orbem,  
 15 vel rationis opem quod spumea proelia poscant,  
 16 hasta etiam vibrans penetrabile monstrat acumen,  
 17 Lymphaeum magis est et scutum circulus ambit :  
 18 hinc jam vernicomae frondent tibi munera olivae,  
 19 artes cura vigil per te quod discat olivo ;  
 20 glaucam dant volucrem quod lumina concolor igni es,  
 21 tuque ignis flos es cluis et "glaukopsis Athene".  
 22 An mage noctividae tibi traditur alitis usus  
 23 quod vigil insomnes ducat sollertia curas ?  
 24 Pectore saxificam dicunt horrere Medusam  
 25 quod pavidum stupidet sapiens solertia vulgum.  
 26 Arcibus urbanis veteres tibi templa sacrarunt,  
 27 quod ratio amplficet quodque est elatior urbe.  
 28 Hinc de patre ferunt sine matris foedere natam,  
 29 provida consilium quod nescit curia matrum,  
 30 consultisque virum praesis : hinc dicta virago.  
 31 O sacra doctarum prudentia fontigenarum  
 32 sola novem complens, Musis mens omnibus una,  
 33 te precor ad proprium dignata illabere munus

34 inspirans nobis Graias Latialiter artes.

ASTRONOMIA.

N6\_02 v.1 Constitit attonito spectans stellantia visu  
 2 et decuit crinis pulvereique pedes.  
 3 Ipsa etiam laeva sphaera fulgebat honora  
 4 assimilis mundo sideribusque fuit.  
 5 Nam globus et circi zonaeque ac fulgida signa  
 6 nexa recurrebant arte locata pari.  
 7 Tellus, quae rapidum consistens suspicit orbem,  
 8 puncti instar medio haeserat ima loco.  
 9 Hanc tener et vitreis circumvolitantibus auris  
 10 aer complectens imbrificabat aquis :  
 11 quae tamen immenso quo cingitur illa profundo  
 12 interrivata marmore tellus erat :  
 13 texerat exterior qui fulget circulus orbis  
 14 aetheris astrifico lumina multa peplo.  
 15 Hinc nitidus rutilum Titan succenderat orbem  
 16 moxque imitata pium lactea Luna diem.  
 17 Sic oculos igitur furvae splendescere noctis  
 18 cerneret ex auro ut sacra flamma micat.  
 19 Sic Cypris Oceani perfuso sidere lymphis  
 20 Lucifero annuerat lumina tota suo.  
 21 Omnia compar habet paribus sub legibus ordo  
 22 nec minus haec mira est quam domus alta deum.  
 23 Hanc mundo assimilem stupuit Trinacria tellus  
 24 Archimedeae astrificante manu :  
 25 o felix cura et mentis prudentia major  
 26 corpore sub nostro aequiperasse Jovem.

N6\_03 v.1 Dixerat, et Paphie paulum contractior ore  
 2 mora intricante laeditur,  
 3 nixaque mox famulis marcentia terga reclinat  
 4 magisque lassa pulchrior.  
 5 Hic dudum roseas inter resoluta puellas  
 6 Voluptas inquit anxia :  
 7 "Unde haec tam duris immitis rustica membris  
 8 peregit orbis circulum,  
 9 et tantos montes fluvios freta compita currens  
 10 delere venit taedia ?  
 11 Hanc ego crediderim sentis spinescere membris,  
 12 neque hirta crura vellere.  
 13 Namque ita pulvereae est agresti et robore fortis,  
 14 jure ut credatur mascula."

LIBER VII. DE ARITHMETICA.

N7\_01 v.1 Postquam conticuit prudens permensio terrae,  
 2 innuba sollertes curam quae instigat in artes,  
 3 sic abacum perstare jubet, suc tegmine glauco  
 4 pandere pulvereum formarum ductibus aequor.  
 5 Altera tunc etiam gerularum accire jubetur  
 6 germanam doctae mundum quae admensa sororis.  
 7 Nec mora digreditur. Tunc rursus dia Voluptas  
 8 ipsius aetheria Cylleni immurmurat aure :  
 9 "Cum doctas superis admirandasque puellas  
 10 adprobat Armipotens, tu optati lentus amoris  
 11 gaudia longa trahis captumque eludis honorem ?  
 12 Seria marcentem stupidant commenta maritum.  
 13 Talia complacita spectat fastidia virgo :  
 14 nec tu cura tori nec te puer ambit herilis  
 15 nec mea mella rapis ? Quaenam haec hymeneia lex est ?  
 16 In Veneris agro Pallas sibi vindicat usum :  
 17 quam melius thalamo dulcis petulantia fervet.  
 18 Casta maritalem reprimit Tritonia mentem,  
 19 et nuptae non aequa venit : poscenda Dione est  
 20 conveniensque tibi potus celebrare Priapum."

## RESPONSIO.

N7\_02 v.1 Licet urgeas Voluptas  
 2 thalamos inire suadens,  
 3 tamen exeret peritas  
 4 brevis ambitus puellas :  
 5 demumque nec jugalis  
 6 cessator intricatus  
 7 tardabo fulcra lecti  
 8 et siquid illa nostrae  
 9 Veneris feret Voluptas  
 10 nec vobis abnegabo :  
 11 furtis modo adlubescat,  
 12 et clam roseta parvae  
 13 liliaque det papillae.  
 14 Ne nunc sensu jugalis  
 15 ferat pudore morsum  
 16 et vulsa pellis atro  
 17 laceros trahat capillos."

N7\_03 v.1 Hos sat erit cursim numeros memorasse modosque.  
 2 Cetera Cecropias aequum perhibere cathedras,  
 3 si tamen ullus inest nostris super halitus aris  
 4 aut rite in veterem cultum replicantur abollae.  
 5 Me spatium admonuit jam claudere fatibus orsa,  
 6 ne superum nostri capiant factidia coetus  
 7 et vetus astrigero pellar Numeraria caelo."  
 8 Sic ait ac reticens propiori adjuncta sorori est.

## LIBER VIII. DE ASTRONOMIA.

## CUPIDO ET SENEX.

N8\_01 v.1 Tunc vix senex reclusis  
 2 creperum videns ocellis  
 3 circumspicit ridentes  
 4 ictuque suscitante  
 5 stupidum dolens tuetur,  
 6 frictuque palmulari  
 7 madida detergit ora.  
 8 Tunc motus increpante  
 9 baculum rapit Lyaeo,  
 10 ac dum movere gressum  
 11 cupit avocante Lyde,  
 12 tandem recepta luce  
 13 superum videt senatum :  
 14 percellitur repente  
 15 silicerniumque nutans  
 16 temptat celerare cursum ;  
 17 tum motibus negatis  
 18 magis involutus astat,  
 19 cessimque formidantes  
 20 abeunt pedes tremore  
 21 titubansque moliensque  
 22 haeret, redit, recurrit,  
 23 tunc victa palpitansque  
 24 turgens cadit senectus.  
 25 Fit major inde risus  
 26 nec scit modum voluptas,  
 27 donec jubente Baccho  
 28 Satyrus rapit jacentem  
 29 scapulisque dat supinum  
 30 avidumque quadrimembrem  
 31 colloque complicatum  
 32 utribus parem reportat.

N8\_02 v.1 Astrigeræ jam sedis iter cursumque polorum  
 2 et sacra multivagos qua tollunt sidera flexus  
 3 dicere tempus adest : video splendescere pulsu  
 4 icta corusciferi subito laquearia caeli :  
 5 illinc bis septem solitus servare Triones  
 6 pastor Hyperborea resplendet luce Bootes.  
 7 Hinc qua devexo tellus subducitur axe,



8 ignoto Canopos sese infert fulgidus astro :  
 9 Phoebeos pariter currus rapidosque meatus  
 10 et totiens variae flammantia cornua lunae,  
 11 quin etiam medios quos nectunt culmina circos,  
 12 oblique et rutilis quo se rapit orbita signis,  
 13 cernere jam videor : tu fingere ludicra praestas  
 14 viliaque astriloquae praefers commenta puellae.

### LIBER IX. DE MUSICA.

N9\_01 v.1 Jam facibus lassos spectans marcentibus ignes  
 2 instaurare jubet tunc hymeneia Venus.  
 3 "Quis modus, inquit, erit ? Quonam sollertia fine  
 4 impedient Thalamos ludere gymnasia ?  
 5 Deriguit comis blandisque adsueta Voluptas,  
 6 et noster pallens contrahit ora puer.  
 7 Ipsa etiam fulcris redimicula nectere sueta  
 8 Flora decens trina anxia cum Charite est.  
 9 Nec melicum recinens modulatur tibia carmen,  
 10 nec dulcis temptat psallere Melpomene.  
 11 Omnia quae tenero moris fervere ludo  
 12 in cumulum doctae vocis honore tacent,  
 13 nec Suada inlecebris sponsalia pectora mulcet ;  
 14 nec Stimula intenso allicit aculeo :  
 15 quin etiam interulos gaudens dissolvere nexus  
 16 blandificaque libens stringere corda face  
 17 nictantes oculos reprimit stupefacta pavore  
 18 nec perferre valet Gorgonos ora trucis.  
 19 Si erudita placent certe sponsalia divi,  
 20 saltem docta ferat carmina Calliope :  
 21 nam simul oblectans vocis modulamine mentes  
 22 taedia dulcisonis auferet illa tonis.  
 23 Quippe scruposis, fateor, lassata puellis  
 24 insuetis laedor pestificata moris.  
 25 Pronuba sic volupe est haec seria carpere Juno,  
 26 nec cura astriferi te stimulat thalami,  
 27 ast ego sub cubui, lepidisque adsueta choreis  
 28 non valeo tristes cernere Cecropidas."

### HYMENAEUS LOQUITUR.

N9\_02 v.1 "Aurea flammigerum cum Luna subegerit orbem,

2                    rosis jugabo lilia.  
 3    Virgo deusque sacro sociabunt foedera lecto :  
 4                    fulcris parate cinnama.  
 5    Hesperus intactam servet licet usque puellam,  
 6                    nuptam videbis Phosphore :  
 7    nec jam artos lacrimae pressi nec crinibus ungues  
 8                    nexus valebunt rumpere.  
 9    Ne thalamos metuas : eris hoc quod Juno Tonanti est,  
 10                    quae nunc sorore dulcior :  
 11    si placuit docti sollertia sacra mariti  
 12                    magis placebunt oscula.  
 13    Aurora exoriens roseis spectabit ocellis  
 14                    floris resecti praemia :  
 15    ipse ego pallentem speculabor luce puellam  
 16                    sese occulentem visibus.  
 17    Conscia jam Veneris nova sarta parate Napaeae  
 18                    crocumque lecto spargite  
 19    inque torum violas certatim fundita conchis :  
 20                    pulvinar alnum comite.  
 21    Crinalem spicum pharetris deprome Cupido,  
 22                    libens capillum solvere.  
 23    Flammea virgineum quae obnubere sueta pudorem  
 24                    regina demet Pronuba.  
 25    Te blandum teneri quae conscia sola doloris  
 26                    Venus decens solabitur.  
 27    Quae nunc dura novo nescis committere amori  
 28                    parabit illa pectora.  
 29    Tu modo quae mando oculos dejecta decoros  
 30                    reconde mentis intimo :  
 31    doctilocum chelis juvenem complexa lacerti  
 32                    facunda redde pignera."

ORPHEUS, AMPHION, ARIONQUE.

N9\_03    v.1    Nam Thrax quo duri rumpere regna Erebi  
 2                    quoque suam meruit immemor Eurydicen,  
 3                    quo cantu stupidae tigridis ira ruit,  
 4                    quo fertur rabidas perdomuisse feras,  
 5                    quo vidit rigidas glandibus ire comas  
 6                    Ismaros et silvas currere monte suas,  
 7                    carmine quo Strymon continuit latices  
 8                    et Tanais versis saepe reflatu aquis,  
 9                    quo impune accubuit rictibus agna lupi,  
 10                    et lepus immiti contulit ora cani -  
 11                    hoc nunc permulsit insonuitque melo  
 12                    adcumulansque magis carmina sacra Jovi.  
 13    Amphion rigido in corpore mentis iter  
 14                    quoque dedit montes sumere posse animas,  
 15                    quo sensus duris cautibus inseruit  
 16                    et docuit rupes carmina velle sequi :  
 17                    nam muros Thebis dulcisonis fidibus  
 18                    praesidiumque dedit carminis arbitrio.  
 19                    Sed nec Arioniam marmora surda chelyn

20 tempere, extremam cum flagitaret opem,  
 21 et licet indomiti dira procella noti  
 22 spumea Scyllaei verreret ima maris,  
 23 delphinas totis sollicitavit aquis,  
 24 et melicos cantus belua grata tulit.  
 25 O vere antistans numina magna deum,  
 26 quae istorum laudes protulit Harmonia,  
 27 quae domitare erebum marmora saxa feras  
 28 et potuit rupes sensificare tonis.

HARMONIA.

N9\_04 v.1 "Te nunc astrisono carmine Juppiter  
 2 quo gemmata poli volvere sidera  
 3 suevit lege rata sacra recursio  
 4 praefandum veneror, quippe potissimus  
 5 nectis sceptrifero sub diademate  
 6 omnigenum genitor regna movens deum  
 7 mundum perpetuo dum rotat ambitu  
 8 mens, quam sidereo sufficis impete.  
 9 Te nam flammigeri semina fomitis  
 10 spargentem referunt astra micantia :  
 11 te Phoebea sacro munere lumina  
 12 terris purpureum dum renovant jubar  
 13 testata ambrosium splendificant diem :  
 14 Cynthia noctis honos lampade menstrua  
 15 auratis rubuit praedita cornibus :  
 16 sub te plaustrilucis luminat ignibus  
 17 anguis Parrhasias disiciens feras.  
 18 Sic solidi tenerum corporis ambitum  
 19 tellus non prohibens axibus inditur  
 20 alternisque regit et regitur polis ;  
 21 sic Nerea freti noscere limitem  
 22 sicque ignem superum lambere pabula,  
 23 ut nullis scateant dissona litibus  
 24 atque ita perpes ament dissita vinculum,  
 25 ut semper metuant foedifragum chaos.  
 26 Tu rector superum, tu pater optimus  
 27 complexuque pio sidera colligans,  
 28 natos perpetuo corpore vividans,  
 29 salve, nostra cui perficitur chelys,  
 30 bis plenum omnisona cui recinunt mela.  
 31 Jam vos verenda quaeso caeli germina,  
 32 quae multiforme scit ciere barbiton,  
 33 adflata nostris ferte corda cantibus,  
 34 miscilla sacrae dum geruntur curiae,  
 35 mulcere vestrum quae velim consortium.  
 36 Jam vos vicissim proque lege numinum  
 37 posthac sonabo disgregato plasmate  
 38 suisque cunctos adlubescentes tonis  
 39 deducit urget atque delenit jocis  
 40 stimulosque rursus lene permulcet melos.  
 41 Nunc igitur alma quae senatum lumina  
 42 deum verendo culminatis vertice,

43 bis sena quamvis vos Etrusci numina  
 44 ritus frequentent atque opiment victimis,  
 45 tamen gemellis quae refulgent cursibus  
 46 natura honoro protulit fastigio  
 47 Phoebum utrumque praeferens vocabulum :  
 48 Phoebus coruscus ac decens Latoia :  
 49 lunare quippe haec venit consortium,  
 50 Phaethontos ardens scandet axem Delius.  
 51 Nunc vos pudici nostra fratris culmina  
 52 precabor ipsa, ne verendos contrahant  
 53 vultus jugandis quae feram dis carmina  
 54 Hymenque nostrum invehat fastidium :  
 55 psallente plectro concinentur nuptiae  
 56 fidibusque juncta fescennina prodient.

N9\_05A v.1 Jam nunc blanda melos Dione carpe,  
 2 durus quippe rigor cedit amori.

N9\_05B v.1 Novit nam tenerum probare carmen  
 2 ipsum spumigenae salum Cytheres,  
 3 Nerinaque chelys movet Camenam,  
 4 dum conchis Galatea personantes  
 5 nantes fluctigenas chorumque Phorci  
 6 flagrans cura trahit nivalibusque  
 7 inrestitus aquis triumphat ardor.

N9\_06A v.1 Jam nunc blanda melos Dione carpe,  
 2 durus quippe rigor cedit amori.

N9\_06B v.1 Carmen Maenaliae tulere pinus,  
 2 percussaque modis sonat Lycaeis  
 3 sollers Arcadiae nemus cicuta :  
 4 pernix semiferi puella Panos  
 5 nam versa in calamos sonat loquaces,  
 6 quam dum forte deus premit labellis,  
 7 suspirat velut osculis canorem.

N9\_07A v.1 Jam nunc blanda melos Dione carpe,  
 2 durus quippe rigor cedit amori.

N9\_07B v.1 Puer ipse versiformis  
 2 fidibus studet Cupido,  
 3 arcusque dulcinerues  
 4 roseo ligans ramali  
 5 feriato liquit arcu  
 6 calamos parante Musa.  
 7 In carminis leporem  
 8 curam negat sagittis  
 9 tenerumque arundinetum

10 nostrum in melos reliquit.  
 11 Nunc ergo corda mulcent  
 12 amor et canor jugati :  
 13 placet ac decet, vicissim  
 14 cantemus atque amemus.

N9\_08A v.1 Jam nunc blanda melos Dione carpe,  
 2 durus quippe rigor cedit amori.

N9\_08B v.1 Prudens puella pulchrae  
 2 mater fuit Lacaenae,  
 3 inlecta sed canore.  
 4 Nam candidus nivosis  
 5 olor involutus alis,  
 6 argenteis minorem  
 7 plumis videns decorem  
 8 nec posse purpuratis  
 9 nimium placere ocellis,  
 10 teneros ciere cantus  
 11 Phaethontiasque Musas  
 12 coepit repente ficta  
 13 fraudem parans senecta :  
 14 sic admovetur ori  
 15 roseumque circumactae  
 16 rapit osculum puellae,  
 17 gremioque complicatus  
 18 pretium tulit pudoris.

N9\_09A v.1 Jam nunc blanda melos carpe Dione,  
 2 durus quippe rigor cedit amori.

N9\_09B v.1 Carmen Latmia deum  
 2 lucis diva secundae  
 3 sacris praetulit astris.  
 4 Antrum quippe secuta  
 5 linquens culmina caeli  
 6 pastoralibus ardens  
 7 palmam dedit cicutis  
 8 pulso et luminis auro  
 9 pandit saepta balantum  
 10 sordentique adoperta  
 11 pratis gaudet amictu :  
 12 hoc tunc conscia noctu  
 13 pascit monte capellas :  
 14 spectans sidera mundi  
 15 mag<no> percreperat flagello  
 16 nec curare deorum  
 17 pensa aut ferre susurros  
 18 illex carminis ampli  
 19 aegram cura coegit.  
 20 Temnit noctis honorem,  
 21 praefert antra subulci

22 rupe et dura quiescit,  
 23 et post regna Tonantis  
 24 stramen dulcius herba est.

N9\_10 v.1 Habes senilem Martiane fabulam,  
 2 miscilla lusit quam lucernis flamine  
 3 Satura, Pelasgos dum docere nititur  
 4 artes creagis vix amicas Atticis,  
 5 sic in novena decidit volumina.  
 6 Haec quippe loquax docta indoctis adgerans  
 7 fandis tacenda farcinat, immiscuit  
 8 Musas deosque, disciplinas cyclicas  
 9 garrire agresti cruda finxit plasmate.  
 10 Haec ipsa nauci rupta conscientia  
 11 turgensque felle ac bile multa chlamyde  
 12 prodire doctis adprobanda cultibus  
 13 possemque comis utque e Martis curia,  
 14 felicis, inquit, sed Capellae flamine,  
 15 indocta rabidum quem videre saecula  
 16 jurgis caninos blateratus pendere,  
 17 proconsulari vero dantem culmini,  
 18 ipsoque dudum bombitante flosculo  
 19 decerptum falce jam canescenti rota,  
 20 beata alumnum urbs Elissae quem videt  
 21 jugariorum murcidam viciniam  
 22 parvo obsidentem vixque respersum lucro,  
 23 nictante cura somnolentum lucibus -  
 24 ab hoc creatum Pegaseum gurgitem  
 25 decente quando possem haurire poculo ?"  
 26 Testem ergo nostrum quae veternum prodidit  
 27 secute nugis nate ignosce lectitans.